DE MESMERISMO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICINAE...

Carlo Maltini



DE
MESMERISMO
Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

In Archigymnasio Patavino

ADIPISCENDAM

proponit

CAROLUS MALTINI

MANTUANUS



PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVII

CAJETANO

PATRI . PERAMATO

QVI

RARA . INDEFESSA . QVE . CHARITATE

DIFFICILI . IN . JVVENTAE . TRAMITE

GRESSVS . MEOS

DIREXIT

PROBITATIS . CONSTANTIAE . VIRTVTIS

INTEGRAE . TENACIS

SPECVLVM . MIHI . FVIT

FILII

ERGA . ILLVM

ANIMI . GRATI . REVERENTIAE . AMORIS

SENSVS . VT . CVNCTI

RESCISCANT

HVNC . DICO . LIBELLVM

CAROLVS

Quod mihi pro inaugurali Dissertatione argumentum proposui, non eadem apud omnes fronte accipietur. Mirabitur aliquis me operi laborem impendere, quod a nonnullis deliramentum censetur; artem alii ad morum corruptelam favendam; alii postremo perfidum ad finem honestorum eludendam facimus existimant: qui mitiorem de hoc ferunt sententiam irritum dijudicant nisum analogia cum electricitate superstructum.

Nihilominus quisquis rem e latere tum historico, tum scientifico pensitet, anceps procul dubio an credat an non pendebit, cum pro utraque parte auctores sapientia doctrina, morumque integritate probatissimi vehementer contendant.

Et revera quinam mesmerismo fidem praestabit post relationem de eo celeberrimi Bailly, quae typum logices sanaequa philosophiae omnes considerant?

Quinam alicujus faciet rem, quae judicio et criterio Parisiensis Scientiarum Academiae tamquam infallibilis Areopagus habitae, submissa solemniter pro somnio vano refutata est? Alia ex partem quemnam et minus eruditum medicum, sedula observatio, sagax indutio, firmumque judicium latent illustris illius clinici qui pathologiae Bufalinianae praecepta praxi adcomodavit, auctoris nempe medicinae organicae, verbo prudentissimi Rostan? Haec duo summi momenti nomina effecere, ut aliquid ego de mesmerismo et magis qua historicus quam disputator scriberem; qui enim de rebus novis, controversis atque penes incredibilibus sermonem suscipit, oportet ut uberimam phaenomenorum congeriem et frequentes autopsias adnumerare possit; quae etiam cum ita sint haud facile reluctantibus animis suadebit, eo quod non modo observationes, sed et modum et testimonia observationum penitus penitusque debeat patefacere. Nos collecta, historici more oratoris, ordinavimus, et ordinata sumus expositiuri. Causa operis officium accademicum subeundum, modus exigua eruditio, finis synopticum de Mesmerismo conspectum exhibere sunto.

Mesmerismus, Magnetismus animalis, Zoomagnetismus, Anthropomagnetismus, Nevropathia, Somnambulismus magneticus, Somnus artificialis illud nuncupatur artificium quo somnolentia, somnus, status convulsivus atque somnambulismus firmae ope voluntatis, vivs baecce obtinendi phaenomena cupidine, et quibusdam gestibus, qui in manuum super aliquam corporis regione per levi confricatione con-

sistunt, vel etiam procul factis, inducuntur; nomen artificii in statum inductum apud Nosologus migravit. Discrepant inter se Magnetisantes de modis quibus Magnetismus provocatur. Puységur et Deleuze voluntatem esse necessariam; Nasse vix sufficere; Bertrand inutilem, intuitui et gestubus efficaciam tribuens, arbitrantur. Plerique autem postulant ut credatur, nullumque magneticum effectum prodire nisi prius plena magnetisandi et magnetisans fide instruantur declarant: concordes verum omnes a sola curiosi, malevoli, aut increduli alicujus praesentia, vel turbari, vel penitus operationem praepediri testantur. Qua ad modum magnetismi animalis provocandi pertinent, et effectus inde consequentes fusius infra exponentur. Me nullam pro sive contra hujusmodi doctrinam sententiam prolaturum amplissime profiteor. Principium disserendi ab historia stricte considerata sumam.

Magnetismi originem relate ad epocham determinare arduum summopere, haec enim aliorum ad instar inventorum temporum nocte obvoluta. Nihilominus actus magnetismi a remotissima usque antiquitate cogniti adhibitique procul dubio fuere. Animali magnetismo omnia quae circa mysteria, initiationes, sybillas, pythias, miracula, magiam et s. p. enarrantur sunt referenda; illius enim effectus maximam cum phaenomenis nuper recensitis analogiam exhibent; eorumque interpretationi et probabilitati, dato quodam modo, opitulantur. Dato, inquam, modo: quamvis enim magnetismus, juxta relata, portentosos pariat effectus; multo major est numerus illorum,

quos ipse non inducit; et exaltatae imaginationi, cuidamque oestro quibus invadimur insolito adstantes spectaculo sunt potius tribuendi. Neophytos hinc et initiatos in eorum fervore praetermodum miranda quae videbant exaggeravisse credere fas est, unde origo omnium narrationum fabulosarum, quibus historiae hujusmodo satis superque redundant, profecto derivanda.

Absit a nobis discussio an sybillae et prophetae (non est hic sermo de prophetis a Deo inspiratis) futurum vare prospicerent, dicere tantum audeamus statum exaltationis quo nobis repraesentantur, perfectam cum eo quem crises quaedam magneticae producunt similitudinem invenire. Innumera facta miraculosa in theoria magnetismi physiologicam et naturalem explicationem hauriunt; et phaenomena sortilegii medii aevi, a fanaticis cujusvis aetatis, quae de Reformatis Cevennae, atque miraculis Diaconi Paris buccinantur, ab eo systematis nervosi peculiari statu sunt repetendi, quem natura saepe saepius in somnambulismo naturali, in catalepsi, in extasi sponte producit, vel per actus magnetismi pro arbitrio suscitantur.

Veteres hoc ergo actus cognoscebant, iisque sacerdotes praesertim usi sunt: doctae potissimaeque Thouretii investigationes effectus magneticos, modumque eos producendos in seculis praelapsis notos fuisse abunde probant; Mesmer, Paracelsus, Van Helmontius, Kirker miris quae ferebantur rebus allecti sunt, haec autem miracula pro fabulis habita sunt; eorum asseclae sycophantae sunt censiti; horumque

actus doli vel deliramenta crediti in oblivionem lapsi sunt.

Physicae cultores ineunte saeculo XVIII in virtutes therapeuticas magnetis mineralis detegendas, cui mirifici tribuebantur effectus, enixe opera contulerunt; ad dimidium circiter saeculi ejusdem docti quamplurimi gentis omnis ulteriores copiosasque in hujus remedii efficaciam contra morbos indagines instituerunt; varii prodiere exitus, neque unanimi consensu accepti sunt.

Antonius Mesmer Suevus, Martinopoli natus anno 1734. ibique 1815 decessus primus de animali magnetismo claras suppeditavit ideas; quapropter hujus inventor habendus est, omnique jure *Mesmerismus* artificium magnetica inducens phaenomene appellatur.

Quum P. Hell e Societate Jesu Vindobonae Mesmero se ope magnetismi e rheumate convaluisse, alliisque in circumstantiis prospero cum exitu eo usum fuisse narrasset, hujus imaginatio vehementer est accensa ita ut Jesuitae experimenta ex se instituerit; unde Reverendi Patris questus altissimi de rapto invento sonuere. Mesmer tamen indefessus ad limites scientiae magis magisque extendendos toto pectore incubuit; hospitium valetudinarium aperuit, gratis ibi aegros medicatus est, et quoquumque Gaermaniae annulos, virgos, lamellas magnetisatas misit, obtinuitque vel obtinuisse putavit optimos effectus, quorum fama ubique vulgata est. Haec verum cum experimenta reiteravisset ullo absque magnetis mineralis auxilio effectus magneticos in organismo humano in

scenam prodire compertum habuit, et facultatem eos producendi enti cuidam sui generis a magnete minerali essentialiter diverso, qui universum regit, quod ab eo temporis magnetismus animalis dictum est, concedere non dubitavit.

En Mesmeri systema, a relatione commissariorum a Rege Galliae ad examen magnetismi animalis delegatorum excerptum. Magnetismus animalis fluidum est undique diffusum; mutui corpora inter celestia, terram, corporaque animata influxus medium constituit; continuum adeo ut vacuitas nulla absque illo non detur; ejus subtilitas nullam patitur comparationem; motus omnes et impressiones recipit, propagat; fluxu et refluxu gaudet. Corpus animale ab hacce potentia innumeros persentit effectus; ad quos promovendos per substantiam nervorum immediate insinuatur. In corpore humano proprietates iis magnetis mineralis similes deprehenduntur, polique diversi et oppositi etiam veniunt distinguendi. Actionem et virtutes magnetismi animalis a corpore aliis corporibus animatis inanimatisque possunt communicari; hujusmodi actio procul et nullius corporis intermedii auxilio exeritur; speculis vel crystallis augetur vel reflectitur; sono communicatur, propagatur, condensatur; talis deniqua virtus, accumulatur, concentratur, transfertur. Quamvis hoc fluidum sit universale, non eo omnia corpora animalia gaudent; adsunt e contra, exiguo quidem numero, quae proprietatibus adeo contrariis instruuntur, ut sola ipsorum praesentia hujus fluidi cetera in corpora influxum tollat Magnetismus animalis morbos nervosos immediate, mediate

autem alios sanare valet, pharmacorum virtutem perfectam reddit; crises salutares provocat et dirigit ita ut in ipsas dominemur; illius ope medicus statum valetudinis cujuscumque individui cognoscit, certitudine firma de origine, indole, progressubus morborum vel majus complicatorum judicat; incrementum vetat, ipsosque nullum quin aegrotantes effectus vel malae notae sequelas patiantur, aetate, temperamento, sexu quibuscumque sint, mirum in modum debellat.

Physici doctique omnes Mesmeri adsertiones dolosarum ambagum incusarunt. Academia Berolinensis ipsum hallucinationibus captum declaravit. Tenax propositi non recessit Mesmerus, omnes refellit vel repulit objectiones, itinerare coepit, curas, se teste, multiplices instituit et prospere complevit; helveticus quidam nomine Joannes Joseph Gassner eodem tempore per observationes et exorcismos morborum nervosorum sanationem a Daemonio productorum, juxta illius sententiam, obtinebat: Mesmer autem effectus hosce magnetismo animali tribuit; Vindobonam reversus ibi nova instituit experimenta, Parisios tandem anno 1778 se contulit.

Suae doctrinae theorias medicis scientiarumque cultoribus, quin hi adoptarent, demonstravit; aegros quaesivit medendos, et laudabiles inde exitus habuisse adseruit; doctrinam dein illico viginti septem propositionibus constantem vulgavit, ubi quae superius exposuimus pertractantur. Deslon discipulus et fervidus Mesmeri assecla factus est, atque ab eo praestita sunt pericula e quibus regii commissarii eorum con-

clusiones hausere. Mesmer ejusque discipuli sequenti modo magnetismum administrabant et ciebant. Vastae in medio aulae ahenulum ligneum variae formae, videlicet rotundum, ellipticum, vel et quadratum altitudine pedis aut pedis unius et semis; stabat vas hujusmodi vulgo *tinozza*, tegmento operiebatur pluribus terebratum foris, unde nonnulli subsci ferrei in modum cubiti flexi et mobilea prodibant. Aegrotantes circa ahenulum multia in seriebus disponebantur, et unusquisque proprium babebat subscum, qui ope flexionia qua instruebatur, regioni male adfectae poterat directe admoveri; funis corpus aegrorum ambiens et complectens simul omnes ad invicem vinciebat; interdum etiam catena quaedam secunda per manus connectebatur: alter nempe pollicem suum intra pollicem et indicem alterius vicini adplicabat; pollex primi sic premebatur talique ratione detinebatur; impressionem sinistra perceptam manu, per dexteram communicabatur, et hinc in gyrum effundebatur. Erat in angulo aulae cymbalum (piano-forte) quo musices variae juxta varias motua edebantur sonus; cui vox et cantus saepe saepius nubebant. Omnes magnetisantea baculum ferreum 10 - 12 pollicibus longum manu tenebant; hic qua magnetismi conductor habebatur; utilitate gaudebat ipsum in acie condensandi validiores magneticas manationes reddebat. Sonus quoque juxta principia Mesmeri magnetismi erat conductor; et ut cymbalo fluidum communicaretur, baculum illi admovere satis. Funia qua aegrotantium corpora circumducebantur, sicut et catena pollicum ad augendoa per communicationem

effectus adhibebantur. Cavitas abenuli ita concinnabatur ut ibi magnetismus concentraretur; materiesque ibi detenta omni electricitate carebant. Aegroti copioso numero, pluribusque ordinibus circum ahenulum dispositi magnetismum ope hujus adparatus percipiebant; idest per subuscos ferreos ab ahenulo prodeuntes; funem lumbos circumambientem; pollicum conjunctionem, sonum cymbeli; gratasque voces sonibus nuptas; digiti virtute insuper, vel baculi ferrei in facie, syncipite, aut occipite, sive in regionibus morbo detentis attactus; polorum distinctione rita semper observata, directe magnetisabantur. Intuitus fixus, ast praesertim manuum adplicatio, et pressio digitorum in hypochondria et regionem hypogastricam diu saepiusque continuata, multas usque horas: mirum effectum offerebant. Hisce constituebatur actubus magnetisandi methodus Mesmeri, quibus multi alii, qui nostras non merentur observationes essent addendi; tempus ergo et opus in eorum descriptione non teratur.

Nonnulla tali pacto magnetisabantur corpora naturae, atque prae caeteris arbores, qui magneticam adipiscebantur virtutem, homines qui in relationem cum fluido impellebantur *crisi* corripi debebant; inanimata quoque receptibilitatem pro magnetismo hac methodo, veluti phialae, scyphi, pocula, et similia, ostendebant. Quae aegrotantes adparatui subjecti sentiebant mox sumus expositari. Alii quieti et tranquilli manebant; alii contra tussibant, spuebant, levem aliquem adcusabant dolorem, indefinitum topicum et universum caloris sensum sudor quoque ma-

212

nabat; nonnulli exagitabantur, convulsionibusque vi, frequentia, diuturnitate extraordinariis vexabantur. Accessu supervento alter statim ingruebat, et quamplures horas status hujusmodi perdurare solebat; aquam sui generis turbidulam, viscidam, interdum et sanguineam conspuebant; hae convulsiones praecipitibus, violentis, involuntariis artuum vel corporis totius succussionibus, faucium constrictione, subsultibus epigastrii, hypocondriorum, clamoribus altissimis singultibus, risibusque immodicis notabantur. Spectaculum mirandum! quod autem vix est credibile in exagitationibus, casibus variatissimis, et sympathiis haec inter individua contingentibus consistit. Visi sunt aegri invicem exclusive se quaeritare, in se invicem irruare, sibi subridere, cum dilectione colloqui, et crises invicem sibi nova cum charitate lenire. Omnes magnetisantis dominium patiebantur; ubi quoque sopore detinerentur, ejus vox, intuitus, signum quodlibet, illos expergiscebat quae certe non crederemus si regii commissarii ipsi haec non retulissent; adjicientes insuper hisce in effectibus constantibus admittendam esse validam potentiam aegros exagitantem, in eos dominantem, cujus magnetisator depositarius esse videtur.

Quamvis academiae, et societates scientias colentes animalem magnetismum sprevissent, innumeros Mesmer et Deslon asseclas sibi comparaverunt. Mesmer discipulos quamplurimos instituit, splendidamque fortunam adeptus est. Academia Scientiarum Parisiensis Franklin, Lavoisier, Bailly, Leroy, Bory; Facultas Medicinae Dorcet, Majault, Sallin, Guillotin,

regia societas Medicinae Poissonier, Desperrires, Caille, Mauduyt, Andry et Jussieu, ut experimenta instituerent delegarunt.

Phaenomenorum, quae supra recensuimus regii commissarii testes omni ex latere fuerunt; semetipsos magnetismo subjicere, ipsi in alios exercuerunt pericula diversis in modis tentarunt; tandem conclausere: nullum ad esse fluidum qui nomen *fluidi magnetici* mereretur; phaenomena inde manata exaltatae imaginationi esse tribuenda; eo quod juxta ipsorum experimenta phaenomena magnetica absque magnetismo obtenta sunt; effectus hujusmodi non contingere cum iis insciis, aegrotantes magnetisarentur: crises per magnetismum provocatas ingenti stipari periculo, utiles nunquam futuras postremo addiderunt. Unns Jussieu collegarum sententiae non subscripsit; ipse enim sedulior caeteris in experimentis fuit observandis; peculiarem immo intexit relationem qua effluvia quaedam e corpore humano manantia, et alia in individua influxum exercentia admittebat.

Magnetismi asseclae non recesserunt; commissariorum experimenta ad magnetismi theoriam penitus tollenda paria esse non poterant, quum ipsi fide destituerentur. Jumelin fluidum magneticum, qua fluidum in corpore humano circulans, indeque manans, calorico identicum considerabat; quod aliorum ad instar fluidorum aequilibrium petit, e corpore eo saturo in expers migrat; ejus processus ab illis Mesmeri et Deslon differebat, polorum distinctione exclusa.

Commissariorum relatio enixe utrinque defensa

et propugnata est; Magnetisantes in caepta perrexere. Puysegur revera suis assiduis investigationibus magneticum detexit somnambulismum; phaenomenorum curiosissimum, dignum profecto quod studium illi impendatur, phaenomenon a Mesmero et Deslon eorum in curationibus longius jam subsentitum. — Simpliciores processus facti in posterum sunt; ahenulum, omnesque adparatus superius praefati ommissi sunt; vocis manuum, oculorumque usum magnetisantes tantum adhibuerunt.

Differunt juxta quemque magnetisantem modi magnetismum provocandi. Manum alii fronti magnetisandi individui vel prope; alii epigastrio; humeris tandem alii solum imponunt; attamen ut facilius phaenomena magnetica obtineantur per gradus, quos sessiones appellant, procedere oportet. Primis in sessionibus haec est agendi ratio: Sedeat individuum magnetisandum: magnetisator contra illud ita ut genubus et apice pedum illud tangat; illius manu capiat pollices quousque thermogenesim aequabilem cum magnetisante contrahant. Manus dehinc humeris imponantur, aliqua post minuta manus propter brachia descendant, animadvertendo ut digitorum extremitates juxta transitum nervorum ibi loci decurrentium dirigantur. Pluribus vicibus tali pacto processus renovetur; hinc per aliquod tempus manus epigastrio admoveantur ad genua descendendo interdum usque ad pedes; manus postea denuo capiti magnetisandi imponuntur, et in adscensione ab eo distent; iterum propter brachia ad pedes usque descendatur. Adsunt nonnullae circumstantiae accessoriae, quae actioni

magnetismi valdopere favent; aër nampe purus agrestis, tempestas ridens, solitudo, coeli serenitas, electricitas at s. p. pariter frigus et calor immodicus sedulo vitandi sunt; ex individuis magnetismum exercentibus quae vivaci, ardenti, exaltata instruuntur imaginatione prae caeteris excellunt.

Sex Hartmann magnetismi stadia val gradus enumarat; qui effectus et mutationes in organismos inductae censendi sunt.

I. Gradus. Sensatio aurae a capite ad extremitates decurrentis; thermogenesis adaucta; intensus cutis rubor; transpiratio uberior; sensus voluptuosus undique corporis diffusus, at perfectae valetudinis. Tali in statu aeger adhuc penitus vigilat.

II. Gradus. Phaenomena enunciata valde adaucta; intensior calor a ventriculo qua centrum, reliquum per corpus se se diffundens; pulsus pleniores, respiratio expansior; oculorum ineluctabilis somnolentia; oculi clausi superstite saepius commercio cum rebus externis, quod per alios sensus externos manifestatur. — *Somnus magneticus imperfectus. — Crisis imperfecta*

III. Gradus: Sensus externi sopiuntur, rerum conscientia ablata. *Somnus magneticus perfectus.*

IV. Gradus: Vigilia in somno Magnetico, novumque cum rebus externis quasi per novum sensum commercium; oculus clausus, val si apertus fixe intuens, cum pupilla dilatata, quae praeter lucem nihil percipit; organon auditus pluries id solum sentit, quod in commercio magnetico cum aegro intrat; saepius autem, at etiam absque hoc phaenomeno acutior fit;

peculiaris olfactus gustusque tactus mirifica exaltatio ita ut fiat aegrum per hanc res esteris spectantes sensibus distinguere; videat hunc audiat, odores saporesque percipiat. Hujusmodi exaltatio plerumque ad scrobiculum cordis solum observatur; interdum autem per universam cutem diffunditur. Hisce consociatur phaenomenis loquela sonorior et harmonica, sensus quietis, gaudii felicitatis gradus hic nomino *Somnambulismi magnetici*. — *Crisis perfectae* insignitur, et aeger tali in statu *Somnambulus* aut *Somniloquus* adpellatur.

Experrectus patiens huic submissus gradui vel obliviscitur, aut vix vix recordatur quae in Crisi perfecta contigerunt; omnia contra in somnambolismum iterum compulsus reminiscitur.

V. Gradus. Sensus communis aegri mirum in modum exaltatus adparet. Partes internas corporis sui statum morbosum, nexum hujus eum rebus externis et medicamentis non modo videt, et apta commendat ad sanationem pharmaca; sed ea quidem quae relate ad morbum fieri debent cognoscit; ulterius in hocce stadium aeger conjectus, in quo gallico verbo dicitur-*clairvoyant*, de futuro statu corporum aliorum magnetico commercio cum ipso congredientium praedicit.

VI. Gradus. Summa mentis exaltatio - *extasis* - propter quam patiens humanam sphaeram transgreditur, et spatii temporisque limites sibi auferuntur; quare praesentia quae latent non modo, sed etiam praegressa et futura, vicina interdum immensis disjuncta intervallis eadem videt perspicuitate; et coe-

lesti fere beatitudine fruitur. — Proh! phantastica, et incredibilia inclamant adversarii (*).

Virtus medicatrix Magnetismi in iis laudatur morbis qui cum vis vitalis systematis nervosi languore incedunt; experientia coeterum, teste Hartmann, melancholiam, tabem nervosam, hypochondriasim hysterisiam, Choream S. Viti, catalepsim stuporem, paralysim, spasmos et dolores per magnetismum fuisse sanatus compertum habemus; et per consensum nervorum inter cutaneorum et systema ganglionicum obtinentem in congestionibus, haemorrhagiis passivis, lento humorum cursu, viscerum infarctubus, amenorrhoea et s. p. magno cum emolumento magnetismus administratus est.

De omnibus quae retulimus quiquis juxta criterium proprium judicium pronunciet; solemnes quae pro utraque disputant auctoritates studiosorum animos veritatem plena sua in luce demonstrandam accendant. Aliquid tamen esse debet quod factis et experientia comprobatum, hanc doctrinam nostris in temporibus adhuc sustineat; non ego autem ulterius progrediar, ut meae consentaneus videar promissioni

(*) Speciali Imperantis praescripto cautum, et vetitum est, in aegrotantium cura, exagerata nimium, nec omnis periculi experte, uti inter nos magnetismo animali, seu stricto mesmerismo.